



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S: Epiphanius Episcopvs. 12. Maii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S: EPIPHANIUS  
EPISCOPVS.

12. Maii.

*Si adhuc hominibus placerem,  
Christi servus non essem.*

ad Galat. cap. 1.

**J**uvat suavitatem divinæ circa teneram ætatem providentiæ in EPIPHANIO agnoscere. Is Phænix gente, sectâ judæus, patrem decennis amisit. Accedente ad orbitatem egestate, equum indomitum à matre jussus vendere, vitium ejus clam non habuit; donatus ob candorē liberaliter etiam in Christianum incidit Cleobium nomine, cujus aspectu efferatus equus EPIPHANIUM excussit, felici casu; Cleobius enim invocato Christi nomine afflictum erexit, calcitronē occidit: ea prima scintilla pectori incidit Jesu olim amore arfuro; Sed nimirum eam facile Tryphon suffocasset Hebræorū antesignanus, qui Epiphanio adoptato eundem sibi generum desponderat, agrè ex his pedicis extricandum, nisi eas Tryphonis & filix mors incidisset. Commodum deinde equitanti

Luc.



**S** Lucianus Monachus se obtulit, qui ad pauperis preces veste se expolians, extempló togam puram è coelo accepit. Ea causa Epiphatio fuit, ut se homini imbuendum permitteret. Numine tam propitio, ut Episcopus ad Lustricum fontem properantis vultum radiare, coronamque imminere capiti cerneret. Lætis initijs vita omnis consentanea fuit. Famem, sitim, morbos, Dæmones, mortem, cæteraq; orbis mala nemo eo potentiùs coërcuit. Hæreses, pestem his omnibus capitaliorem, stylo confixit. Miretur viventis miracula juvenus, unum modò, quod jam examinis edidit, imitetur. Improbum hominem, nudum corpus inspicere tentantem, calcè à se repulit, verecundiæ etiam post mortem retinens, quæ hodie ferè omnium virtutum prima moritur.

*Ex Metaphr.*

## M E D I T A T I O

### *De perverso hominibus placendi studio.*

**I.** **N**E credas, posse te omnibus placere ac satis facere; Christus ipse unicuiq; non placuit. An non quotidiana est de Deo querela? Serenam  
 cœlum



ecolum petit viator; hortulanus pluviosum: quantum in te est, fungere officio tuo, nec sis sollicitus, quid dicturi sint alii, cum eorū dictis non futurus sis infelicioꝝ, ea si Christiano ac forti animo despexeris.

2 Homines sæpe vituperabunt sanctiores actiones tuas, laudabunt verò imperfectiores: Christianam si colas humilitatem, dicēris ignavus; si pietatem, hypocrita; contra verò prodiga bonorum effusio, liberalitas; jam fucatum virtutis specimen, probitas huncupabitur. Quis jam fidat iudiciis hominum, qui vitium laudibus, virtutem conviciis prosequuntur? An sanus est, qui vult à stultis laudari, & ægrè patitur, ab iisdem contemni?

3 Nullum vel levissimum peccatum admittas, nullum omittas pium opus, ut placeas hominibus; tu hæc in virtute constantia probabitur sapientibus, tamen si displiceat improbis, ac insipientibus, quorū iudicium parvi fecere debes. Facilius (ajebat Arsenius) Deo sit satis, quàm hominibus, quia unus est, & constans, plures verò sunt homines, & inconstantes. *Beata esset nostra conditio, si tantum præcepta Christi, quantum populi sibi vereremur.* Paulinus.

## S. JOANNES SILENTIARIUS.

13. Maii.

*Omnis immunditia, aut avaritia,*

hæc